

Q. B. V. D. O. M.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

# UNIONE TRANSCENDEN- TALI,

Quam,

DIVINA GRATIA CLEMENTER ANNUENTE,  
Cum consensu & adprobatione  
Ampliss: Facult. Philos.

In

*Regia Academia Aboënsi*

S U B D I R E C T I O N E  
*Præclariss. VIRI*

DN. ERICI FALANDRI  
Lingv. Gr. & Hebr. Professoris peritiss.  
Præceptoris & Fautoris multis sanè nomi-  
nibus pl. honorandi.

*Pro Destinato Magisterii Gradus*

Candidè Philosophantium censuræ modestè  
submittit

JOHANNES C. PROCHMAN  
Ostro-Botho.

In Auditorio Max. ad diem 15. Novemb.  
Anni M, DC, LXXIX,

---

*Excusa apud Viduam Hans. A. T.*

S.<sup>a</sup> R.<sup>e</sup> M.<sup>tis</sup>

REGNIQUE SVECIAE  
SENATORI SUPREMO  
ET  
DROTZETO,

CELSISSIMO PERILLUSTRISSIMO  
HEROI AC DOMINO

DN. PETRO BRAHE/  
COMITI

IN

Wifingzborg/

LIB. BARONI

IN

CAJANA ,

DOMINO

DE

Rydboholm / Lindholm/ Brahestadna/  
& Bogesund / &c.

JUSTITIAE DIRECTORI GENERALI.

WESTMANNIAE MONTANORUM

ET DALECARLIAE

JUDICI PROVINCIALI.

REGIAQ; ACADEMIAE QUE ABOE EST  
CANCELLARIO MAGNIFICENTISS.

DOMINO ET PATRONO  
GRATIOSISSIMO

*Salutem & seros annos !*

CELSISSIME COMES  
DOMINE GRATIOSISSIME,

**V**estrae Celsitudinis oculos in  
bonum Publicum strenue intentos,  
an aliquantisper in me convertere au-  
deam, vehementer dubito. Res sanc-  
digna accurata lance. At dum pronus  
veneror, seu *Familia antiquitatem*, jam  
dudum in illustri positam, seu *merita*  
(grata mente nominanda) in Regnum  
Sveo-Gothicum, in Remp. literariam,  
in

in primis in illustrem hanc Finnonum  
Academiam Aboensem planè singula-  
ria & penè inexpectata, mei immemo  
in hanc seu religionem seu subrusticita-  
tem rapior: Indubia spe fatus, eander  
mibi contingere gratiam, quam alii sit  
contigisse, si non ex condigno depra-  
dicare sustinent, saltem tacitâ menti  
admirantur. Quibus quidem offici-  
seu muneris dignitate minimè par, a  
animi subjectione haud impar cupio  
baberi. Accipiat itaque *Vest.* *Celsit.*  
gratioso vultu, hoc, quantulumcunque  
est, quod offero in summa simplicitate,  
cum conjuncta debita humilitate, acci-  
piat inquam & saltem non æstimet  
devotionem clientis sui ex tantillo.  
*Decatero*, Deus O M. *Vest.* *Celsit.*, ca-  
nos, seriis Regni negotiis incanescen-  
tes, quam diutissime sustentet, ut cor-  
dicitus vover

*Illust. Vest. Celsit.*

humilimus Cliens

JOHANNES PROCHMAN.

## PRÆFATIO.

**N**ota est lex, Artifici-  
bus communis, scilicet neminem artis cu-  
jusquam declarari  
Magistrum, nisi pri-  
us edito industriae aliquo specimine.  
Si tantum oblinient a suis scolarib[us]ue  
artes aliae, liberalibus etiam longè in-  
feriores, quanto majori jure Musæ hoc  
decus à suis cultoribus imperabunt.  
Hac de re, ut par erat, etiam Ego  
sollicitus potestate factâ ab illis quorum  
intererat, introspecti in theſaurum  
Philosophicum, ibi, inter reliquias  
gemmarum Imaginis Divine, quæ il-  
lic servantur, præ ceteris micabat qui-  
dam unio, in quo efformandom ihi val-  
de placui. Unio inquam est transcen-  
dentalis, meo quidem judicio minime  
indigna in qua probabitur temporis &  
a insti-

instituti occuparer, tenuesq; ingenij  
vires periclitarer. Hanc quippe rebar  
materiam, accommodatam satis præ-  
senti negotio. Nec dubitabam factu-  
ram aliquando non parum in rem no-  
stram; Ulpote cuius egregia est vis in  
soloendis adversariorum venenosis te-  
lis, quibus findere sat agunt salutife-  
ram illam in Christo Unionem Person-  
alem. Ut autem in antecessum quo-  
dammodo innoteſcat ratio ratiōnis  
noſtrā, Sciagraphiam ejus dediſſe pro-  
derit, illa vero talis eſt: Membra  
in universum ſunt quatuor, quorum:  
Primum ὄντος λογίαν: Secundum  
παρεγγέλματα: Tertium πράγματα λο-  
γίαν ipsam quoad Definitionem: :  
Quartum deniq; Divisionem, cum ap-  
pofita appendice Axiomatum extantiorum  
hinc reſultantium, exhibebit.  
Incerim T. O. m. Deus qui ſolus noſti  
in quem finem, hoc quequid eſt, di-  
rectum ſit, adde ſuccēſſum pueriliter  
auſo. Tu vero L. B. preſtolare quaſo,  
bujuſ rei jacta dum fuerit alea. Ego  
in hanc quam dixi, utinam feliciter!  
descendam arenam.

Adſis

AD SIS O JESU!

# MEMBRUM PRIMUM,

*Opusculo exhibens.*

§. I.

**N**otabilis sanè est concatenatio Rerum, conceptuum & vocum ipsarum seu Nominum, quam facile dixerim manuductricem ad omnem omnino solidam cognitionem. Nam Res ceu fundamentum & basis, tales in se & sua natura sunt, quales illas esse intendebat in ipsa creatione perspicacia Divina, quales etiam postea esse constantè intueretur. Porrò si quidquam est, quod veniat nomine reliquiarum Imaginis Divinæ in homine, certè hoc illud est, scilicet facultas cognoscitiva, qua Intellexus concipit quidpiam, prout illud ipsum convenit cum Intellectu Divino, seu cognoscente tantum, seu patiter atq; insimul mensurante, qui conceptus est ejus rei adæquatus, cuius esse debebat ex rei natura & intentione concipientis, & hac ratione Res sunt mensura Conceptuum. Voces deniq;

A 2                    quod

quod attinet, illæ imponuntur rebus  
propter res repræsentatae sunt intellectui  
per ideas & Species, adeoque sic vo-  
cum meniūra sunt conceptus. Verum  
enimvero, cum in tanta rerum copia  
magna sit vocum paucitas, non raro  
novæ sunt excogitandæ ( quod tamen  
temere non est factitandum ) sive au-  
tem ex fontibus suis deducendæ, ex va-  
riis torsionibus vindicandæ & ex qui-  
bus non labyrinthis liberandæ. Istum  
naturæ ordinem si inversum dederο  
& a Signis externis, ad signa in-  
terna, ab his ad ipsum signatum, h.e.  
ab investigatione Nominis ad conce-  
ptum adæquatum ritè formandum,  
ab hoc ad altiorem ipsius Rei indagi-  
nem procedendo, methodum facilito-  
ris cognitionis sequutus fuero, non  
usq; adeo peccasse me in delicatores  
Methodi æstimatores arbitror.

### §. 2.

Utilis equidem, imo necessaria vi-  
detur inquisitio in quid Nominis ( ut  
cum Zabarell. loquar ) unde, sin quid  
sit rei distinctè, saltem confusè habitu-  
ri. Hoc autem officio nostro commo-  
dissime fungemur, ratione habita  
vofea-

νομαπολογίας, quæ hisce tribus possimum absolvitur: Ἐπιμολογία, ὀμωνυμία & Συνωνυμία. Ex his præmittitur Ἐπιμολογία, quo viam sternat ad significationem vocis, quam origo Nominis manifestat. Uno itaq; dicta ab uniendo quia heic junguntur plura ad unum aliquid constitutendum. Estq; dicta hæc vox non inepte in rem, seu sumseris *Activè* pro actu uariantis, quatenus unitio fit ratione efficientis, seu *Passivè* pro potentia passiva in actu recipiendi actionem unitivam constituta, seu denique *Relativè* pro unitorum mutua ad se invicem habitudine.

### §. 3.

Quod verò ὀμωνυμίας concernit, illa pro varia rerum unitarum inter se, & ad unionem perfectissimam, habitudine variat. Existimavimus tamen non incommodè singulas acceptiones ex diffusis ambagibus in hoc compendium mitti posse. Quod nempe accipiatur unio ( $\alpha$ ) *Late:* quomodo etiam inter ea unionem quandam vel potius umbram & speciem unionis dicere

eeere fas est, quæ quam longissimè a se  
invicem distant, modo appareant ve-  
stigia qualiscunq; demum respectus &  
habitudinis ad aliud, saltem verbalis,  
**Notionalis**, **Habitualis** vel **alius ali-**  
**cujus talis.** Sed hæc impropria valde  
(puta non tam sensu Philologico  
quam Philosophico) & ab instituto no-  
stro alienissima est vocis hujus usur-  
patio. ( $\beta$ ) *Strictius* quomodo qui-  
dem aliqualis, imò vera & realis, u-  
nitorum conjunctio & præsentia con-  
cedenda, talis tamen, cuius terminus  
non est unum per se, sed tantum per  
**Accidens**, seu id fiat per concretio-  
nem seu per Aggregationem, seu quā-  
cumque demum confusionem. Est au-  
tem unio hæc **Accidentalis** magis vel  
minus **Intrinsicæ**, quod notandum.  
Verum nec hæc hujus est loci, cum ea-  
dem sit unionis quæ essendi ratio ( $\gamma$ )  
Denique *Stricissime* & Propriè pro du-  
arum diversæ essentiæ seu naturæ sub-  
stantiarum, quarum utraque vel ad  
minimum alterutra erit incompleta,  
arctissima eaque communicativa con-  
junctione. Hæc illa est acceptio quam  
secta-

sestibamur, in hujus scrutinii campum paulò laxius luet expatriari.

§. 4.

*Συναρμός* denique quod attinet, de ea vaide ut solliciti simus non est ē re, cum difficultatibus non sit exposita, ne videamur noscum in scirpo quaestore. Ni modo forte quis *Unionem* & *Unitiōnēm* pro Synonymis voluerit habere, cum tamen illa si status conjunctionis, hæc actusconjungens. Illa est permanens, hæc transiens. Hæc pauca hac in parte dicta sunt.

## MEMB. SECUNDUM.

*Παρασκευὴ* seu præparationem ad *περιγραμμὸν ἀρχῶν* continens.

§. 1.

*Παρασκευὴ* hæc, ut non sine jactura aliqua poterat intermitti, ita cum quacunque commodo nostro quaestionibus, quid Nominis? & quid rei? interponenda erat, utpote quæ nobis viam pandit ad altiorem rei indagationem. Absolvitur autem: 1. Existentiæ probatione 2. Probatæ ad propri-

am sedem disciplinarem revocatione,  
unde etiam facile patebit ratio Abstra-  
ctionis à nobis servandæ & conceptuū  
formandorum.

§. 1.

Diu multumque agitata est quæstio  
inter Philosophos, utra harum quæ-  
stionum quid res sit, vel An sit, præ-  
mittenda? quam controversiam no-  
stram hac vice non facimus. Inter  
accuratores tamen perorata lis est:  
Scilicet quæstionem, quid res sit con-  
fuse, præmittendam quæstioni an sit?  
Porrò quæstionem an sit quæstioni  
quid sit Distincte. Horum itaque ju-  
dicia sequuti manum admoveoremus  
quæstioni An res sit? nisi speraremus,  
extra omnem dubitationis aleam pos-  
tum esse, unionem omnino dari. Ic-  
circo in ea stabilienda non valde ope-  
rosi erimus, quin potius leviter tan-  
tum attingemus, ne videamur siccō  
pēde præteriisse Entitatem rei, in qua  
Scibilitas ejus radicatur. Præterquā  
quod quotidie circumgestemus tale  
Ens quod per unionem partium, U-  
num est, etiam hoc addidisse non pec-  
nitabit, scilicet, non omnia Entia a-

pta nata esse ad compleendum numerum & ordinem Entium Realium. Non quidem quasi negatum ipsis iremus, ut ut incompletis, Essentiam sibi debita perfectione perfectam. Hoc tantum dicimus, quædam Entia talia esse, quæ ad alterius Entis perfectioni intrinsecam ordinata sunt. Hæc autem inclinatio & propendentia vel possiblitas rerum diversarum, in actum deducitur mediante hac, quam stabilire satagimus, Unione. Porro nunquam evitarent Metaphysici contradictionis absurditatem, ponendo unitatem in Indivisibilitate, & dicendo tamen unum illud Indivisible admittere divisionem quandam, nisi ope hujus intervenientis Unionis, si modo firmo steterit tali hoc principium: Impossibile est idem simul esse & non esse. Denique quis nescit, in Sacris quantæ forent turbæ, si quis perficitæ frontis homo sustineret tollere unionem.

§. 3,

Jam verò, Intelligibile est omne quod est juxta Canonem Gnostol. Cum igitur in confessio sit, omne Scibile ad

aliquam Disciplinam referri posse, immò debere, ceu ad Principium suum Conservativum, videndum ad quam per naturam referri amet hoc nostrum. Alia vix monstrabitur commodius quam ipsa Scientiarum Domina Metaphysica. Sed facesset forte negotium nobis unio hæc quam venditamus pro Transcendentali, cum non sit ipsum objectum Transcendentale, nec Affectio ejus, nedum modus aliquis contrahens. Transcentalis utiq; est, sin ipsum objectum in latissimo suo ambitu, tale tamen quod ad illud Analogè se habet & ut ad basin seu fundementum suum revocari gaudet; Si non Immediate ut Affectio, mediante tamen specie quadam Affectionis cuiusdam unitæ, quam unitatem appellant Indivisam Divisib lem, quæ unitas manet Indivisa ratione Status & termini, at Divisibilis ratione ortus & Principii. Unio itaq; est Medium illud quo plura illa coalescunt ad unū Indivisum Divisibile constituendum.

#### §. 4.

Porrò fundementum & basis Disciplinarum Theoreticarum est ipsum obje-

objectum cujuscunq; Disciplnæ, in quod  
reliqua omnia quæ in illa Disciplina  
traduntur, collimant. Hinc sit ut  
partialia sequantur naturam & Abstra-  
ctionem objecti totalis. Abstractione au-  
tem Metaphysica dicitur Secundum  
Indifferentiam, & est, quâ Intellectus  
aliquid considerat in latissimo conce-  
ptu quatenus indifferenter se habet ad  
hoc vel illud. Hujus Abstractionis  
naturam merito imitetur considera-  
tio unionis Transcendentalis. Iuxta  
Axioma. *Quicquid in Metaphysica do-  
cebitur ad Ens, qua Ens, adeoq; quate-  
nus indifferenter se habet, revocandum.*

S. 5.

Abstractione autem cum sit principi-  
um productivum omnis omnino Sci-  
bilis, adeoq; sic etiam hujus nostri, vi-  
dendum igitur quomodo & in quan-  
tum hæc quæ dicitur Secundum Indif-  
ferentiam præsenti negotio adaptari  
queat. Fatemur equidem unionem  
juxta illam acceptionem quam supe-  
rius acceptabamus, imo ne quidem  
juxta quamcunq;, latitudinem illam  
pertingere, quam sibi vendicat Ens in  
vastissimo suo ambitu. Sed & id dici-  
mus,

mus', nec jure postulari posse ab unione hac nostra eam amplitudinem modo per Analogiam quandam tale quid sibi velit, scilicet si stat se natura communis in ea latitudine ab intellectu nostro concipiendam, qua habet se indeterminate ad modum quemcunq; contractiorem, puta propriè & à propriè dictum. Intra pomeria itaq; hujus Abstractionis non admittimus Unionem per Accidens, seu cuius terminus est unum per Accidens, nedum aliam quamcuaq; saltem àequivoce ita dictam, quin imò liberatam volamus naturam communem à conditionibus Individuantibus, ut loqui mos est, mox tamen descensuri in aliqualem specierum proximarum vel quasi specieram indaginem, talem nempe, quam Di sciplinae subordinatae vel facultatum aliqua, in quibus harum usum haud exiguum licebit observare, vix ac ne vix quidem sibi vendicare sustinebunt.

§. 6.

At vero cognoscibile non potest cognosci immediata sui receptione in Intellectum; opus est medio, per quod

unio

enio hæc justis limitibus circumscripta offeratur Intellectui cognoscenda, quò fiat actualis Intellectio. Aliud autem nominari nequit quam species seu Imago ejus, juxta statum cumpromis Idealem delata in Intellectum, ubi instar seminis concipitur, hinc etiam conceptus dicitur. Hisce pro instituti ratione hæc in parte obiter notaris, Intellectum nostrum alias indeterminatum, jam objectivè determinatum esse animadvertisimus.

## MEMB. TERTIUM. Definitionem Unionis ex- pendens.

### §. I.

Hactenus, si non pertractavimus, saltem leviter attigimus ea quæ facere videbantur ad ὀνοματολογίαν & intervenientem περισκευὴν: excipit nunc justo ordine περιηγητολογία, in qua attendendum ad ipsam Thematis quidditatem, tum conjunctim tum scorsim consideratam; Illæ nihil aliud est quam Essentia rei Definitione expressa; bæc, Definitionis reso-

resolutio. Definitio quidem juxta Suidam & Phavorinum talis est: ἔνωσις  
ἐπι συνδρομὴν κοινωνίην τῶν διεσώτων  
περιγραφήστων: Unio est concursus com-  
municativus rerum distinctarum. Ve-  
rum hæc talis est, quæ extendit se et-  
iam ad unionem illam, cuius terminus  
est unum per Accidens, cum tamen  
abstractio nostra illam non admittat.  
Stringenda itaq; erat (ne Definitio sit  
latior vel angustior re Definienda) hoc  
modo: Unio est concursus seu conjun-  
ctio communicativa substantiarum per  
naturam distinctarum ad unum per se  
constituendum.

### §. 2.

Definitum est unio: ubi notanda  
relatio illa, seu mutuus unitorum re-  
spectus qui hisce cancellis continetur:  
1. Extrema seu subjecta sunt res natu-  
râ differentes. 2. Fundamentum est  
aptitudo, vel non repugnantiae tan-  
tum, ad unionem. 3. Ratio fundandi  
est cōjunctio naturarū actualis seu ipsa  
unitio. 4. Relatum, natura illa quæ  
habet rationem δύναμεως, Correla-  
tum quæ induit naturam ἐγκλεζίας

h.c.

h. e. quæ in concursu isto ad se invicem referuntur. §. Terminus inde resultans est unum indivisum.

### §. 3.

Circa Definitionem ipsam duo sunt notanda: ( $\alpha$ ) Conceptus communis & convenientiarum. ( $\beta$ ) Conceptus Proprius & differentiarum. Conceptus communis notatur nomine *ouνδρομη* concursus: Est enim omnis unio realis, concursus seu conjunctio plurium, quod per te patet. Verum concursus hic etiam si est communis, quæ concurrunt ad unum tantum per Accidens constituendum, ideoq; non dum facit satis facili ati cognoscitivæ, quæ requirit ut objectum suum sibi sistatur in proprio & adæquato conceptu conspicendi; Inquirendum itaque in conceptum proprium.

### §. 4.

Conceptus Proprius seu Differentiarum petitur. ( $\alpha$ ) *Ab objecto*, quod absolvunt πράγματα διέσωται: res seu naturæ differentes, quas, servientes instituto nostro restrictas volumus ad substantias. Nam ex Accidente & ac-

cidens-

eidente, ut &c, ex accidente & subiecto non potest fieri Ens vel unum per se. Ad excludendas itaq; illas unionis species, utpote spurias, quæ sunt ex accidente & accidente, vel accidente & subiecto, substantias debere esse, ponimus. Easq; *Distinctas* non distantia seu intercapedine loci, sed naturæ diversitate, etiam in ipsa arctissima unione. Nam unio nihil aliud præstat quam quod res unibiles, prout repetit, actu conjungat, salva manente rerum diversitate & disparatione. Cæterum ut naturæ illæ differentes queant conjungi, prærequiritur ut respiciant se mutuo ut *δύναμες* & *έντελέχεια*, actus & potentia, si non propriè saltem analogicè, quippe *ex duobus actibus per se in eternum non potest fieri unum actu*, inquit acutissimus ille Scal. Ex. 6. S. 5.

### §. 5.

(β) *A necessario consequente, quod est vel Immanens vel Emanans. Immanens est κοινωνία, communicatio- nis actus, qui non absolvitur nuda na- turarū participatione de communi ter- mino,*

mino, sed etiam implicat naturam unius  
ab altera perfectionem ratione proprietatum. Alterutram harum absente non  
potest unitas per unionem servari.  
Nam quoad priorem: ut non potest esse  
relatio sine correlatione, ita res seu  
natura diversa non possunt uniri nisi  
respiciant terminum seu correlatum  
suum in quo uniantur. Et contra, ter-  
minus respicit naturas illas diversas seu  
correlationes. E. G. ut Pater non potest  
esse Pater nisi habuerit filium; ita fi-  
lius non potest dici filius, nisi respectu  
habito Patris. Quoad posterio-  
rem: δύναμις καὶ ἐντελέχεια requi-  
runtur, ut res differentes queant con-  
jungi; Illae autem non possunt con-  
currere quin statim sequatur quædam  
περικάροησις, qua actus potentiam per-  
ficiat, & perfectius unitorum, id quod  
indiget perfectione, intimè pervadat,  
eidemque perfectionem communicet,  
ad eoque sic etiam propria puta ἐργ-  
υητικὰ, servata proportione, ita ut  
illa natura unita, que habet rati-  
onem δύναμεως accipiat & perficiatur,  
hac vero que ἐντελέχεια audiatur, per-

ficiat & largiatur, ideoque non pos-  
sunt isti denegari participativè & per  
κοινωνίαν, quæbusus sunt πρώτως, ori-  
ginaliter & per essentiam, ut ex fun-  
damento differit D. D. Calov. Con-  
secutiva *Emanantia* sunt effectiones  
seu operationes: ex communione enim  
extremorum ut δύναμις ηγετελέχεια  
sese habentium, intra terminum uni-  
onis non potest non sequi ἀποτε-  
λεσμάτων communio. Adhuc cla-  
rius: ubi principij communis (qualia  
sunt propria, unius extremi unionis  
per naturam, alterius communica-  
tionis gratiā) Unitas, & termini  
unionis communis participatio, de qua  
sapius, ibi communio operationum.  
Non enim in unione potest agere se-  
parativè & scorsim unitorum nobilius,  
aliàs foret ωδησαλκή tantùm Unio,  
necessum itaque est ut operetur cum  
alterius communicatione ob substan-  
tiale συνδύσιν. Itaq; negata com-  
munione proprietatum, negari com-  
munionem διπολεσμάτων sive ope-  
rationum. Negatā in agendo com-  
muni

munione, negari termini communis participationem. Negatā termini communis participatione negari ipsam etiam Unionem, ceu nervosè concludit Celeber, ille Calov.

¶ 6.

(γ) *A termino qui est Unum per se,* Termini hujus consideratio subministrat nobis occasionem dicendi, quod prius dictum oportuit, scilicet, substantias istas in unum coalescentes debere esse Incompletas, si non utramque saltem alterutram (Nam : *Ex duobus completis non potest fieri unum per se*) si non in essendo, saltem in subsistendo. Alium certè non agnoscit Abstractionis nostra terminum, quam illum quem dixi, qui est ad unum per se. Nam unum per Accidens radicatur in Ente per Accidens; Hoc autem non nisi per Analogiam quandam proportionis Ens est, adeoq; sic non est Abstractionis Metaphysicæ ; quæ itaq; est ratio Entis per accidens, ea etiam unitatis & unionis ejus.

# MEMB. QUARTUM.

*Unionem Dividens,*

§. I.

**F**uit hactenus natura communis unionis in se spectata, quatenus scilicet indifferenter se habet ad modos quosdam contractiores, quos species vel quasi species licebit appellare; sequitur nunc ut pro ea qua pollet auctoritate Metaphysica, in illorum scrutinium in tantum nos immittamus, quantum fieri potest sine praetudicio schiarum Disciplinarum vel facultatis cuiuspiam. Authoritatem itaq; & rationes sequuti clarissimorum Metaphysorum dispescimus unionem propriè dictam in *Essentialem seu Naturalem & Personalem.*

§. 2.

Divisionis hujus adæquatio ex ipsa rei natura & interna quadam conditione evincitur. Nam substantiaz unibiles non nisi dupli ratione se habere possunt: Vel utraq; est incompleta, vel altera completa altera incompleta. Ex duabus incompletis, nihilominus ut dūvares καὶ εὐπλέχεια sese mutuo

mutuo respicientibus, sit unio Essentiæ  
alis. Ex completo uno tam in Essen-  
do quam in subsistendo & altero in  
completo si non in Essendo sicut in  
subsistendo confit unio Personalis.  
Verum nota Analogicam heic esse  
Membrorum divisionis rationem, quam-  
vis utrumq; e generali unionis natura  
non sine fructu declarari possit.

§. 3.

Porro & illud præcavendum erat,  
nos nolle falce m temere in sacram  
Theologorum immittere messem, in-  
quirendo in naturam unionis Perso-  
nalitatis. Fatemur equidem rationem i-  
gnorare Christum. Et unionem il-  
lam personalem que in Christo est,  
esse non fœtum Rationis sed objectum  
fidei, nec tamen aliud hujus rei ex-  
emplum dari in vasto rerum ambitu:  
Nihilo secius manum huic rei leviter  
admovendam duximus, scilicet in tan-  
tum, in quantum eniti sustinet ratio,  
in quantum non implicat contradic-  
tionem, quatenus ex ratione rationi  
non raro obviam ire necessum habe-  
mus. Præterea Applicatio termino-  
rum Metaphysicorum ad res mysti-

cas, ut omnino fieri potest; ita ἀραι  
λόγως tantum fieri debet. Mysticas  
dixi, non quatenus sapiunt singulari-  
tatem inexhaustam, sed quatenus non  
renunciaverunt omni omnino con-  
venientiae rerum. Analogicam ita-  
que, adeoque veram admittunt appli-  
cationem.

§. 4.

*Unio Essentialis est qua plures sub-  
stantiae incompletæ ad unam Essentiali-  
am constituendam Uniuntur. Sub ex-  
emplo placet hanc rem illustrare &  
quidem unico, unde & reliquarum hu-  
jus ordinis rerum unitarum, & illa-  
rum quæ se Analogicè ad hanc ha-  
bent, ratio facilè patebit. Extrema u-  
nionis Essentialis in homine sunt na-  
turæ incompletæ, Anima rationalis &  
corpus organicum. Horum utrum-  
que ex se & sua natura est ordinatum  
ad intrinsecam alterius Entis, nempe  
hominis, constitutionem. Quod fie-  
ri nequit & in actum deduci sine Es-  
sentiali hac unione, quam respiciunt  
substantiæ unibiles ceu Terminum &  
Correlatum suum. Verum termi-  
num*

num istum non possunt pertingere, nisi respiciant se mutuo ut δύναμες ηγετέλεχεια. Anima rationalis habet rationem ἐντελεχείας, corpus vero organicum δυνάμεως. Illius proinde est perficere & actuare, hujus perfici & actuari. Hinc sit ut anima rationalis intimè pervadat corpus organicum. Hanc in rem dicit subtilitatum ille Magister Scal. Adeo divina res est forma, ut cum sit substantia, aliam rotam sui impletat substantiam ita ut ex utraque fiat unum. Exerc. 307. S. 29. Hæc impletio, ut ita dicam, quam nominat Scal. non est vulgaris aliqua, sed insinuat tum mutuam extremonum seu Substantiarum Unitarum immanentiam cum intima περιχωρήσει, tum propriorum communicationem tantam, quanta sufficiat desiderio finis unionis, quanta etiam ab una Activè communicari, ab altera Passivè recipi potest; Interim hac lege, ut propria, cuius per naturam sunt, propria maneant, non obstante quod alteri contingant vi unionis. Hos artissimos rerum unitarum amplexus

intra unam Essentiam Suppositi, vel Personæ cuiuspiam, non potest non sequi à mortis suâ tamen sive operationum communio. Et ut ea, quæ hactenus fusius hanc in rem dicta videntur uno quasi intuitu conspicienda exhibemus: *Azus* Anima rationalis cum Substantiales cum Accidentales communicant corpori organico. Nam forma dat materia esse, distingui & operari.

### §. 5.

Personalis unio est qua duæ substantiae, completa una, altera (ratione subsistendi) incompleta, ad unam personam constituendam uniuntur. Non omnino ἀλογον est Substantiam aliquam carere ultimo subsistendi modo proprio, quum substantiam propriam habere, non faciat ad ipsam intrinsecam & Essentialē rationē Substantiæ. Quomodo autem impeditur vel suspeditur ultimus ille subsistendi modus? forte non nisi per Potentiam Infinitā, de hoc non est rationis judicium. Porro, quum omnis substantia verē actu secundo subsistat, necessum est, si propria

pria impediatur, aliunde habeat: quod  
vicissim quomodo fiat? & per quem?  
rationis non est determinare. Hoc  
tantum dicitur ratio, si tale quid est  
concipiendum, scilicet, unum alterius  
frui & gaudere Substantia, illud non  
posse fieri sine Unione arcta, cum in-  
tima  $\tau\omega\chi\omega\gamma\sigma\epsilon$ , idq; ob termini U-  
nionis singularitatem. Hujus rei  
exemplum cum reverentia pia nomi-  
nandum, Theologis ulterius exami-  
nandum meritò relinquimus, ne vi-  
deamur limites transfiliisse.

### Ποεισματά.

I. *Unio qua terminatur in uno per  
accidens, non est Abstractionis Meta-  
physice, adeoq; sic nec nostræ: Puta  
directè, quamvis indirectè & per re-  
motionem fieri id quodammodo  
possit.*

Cœterum ad quam Unionum classem  
referendæ species In Sacris occurren-  
tes, quales sunt: Inter rem terrenam  
& cœlestem in S. Cœna: Inter Chri-  
stum & fideles in Regno Gratiae: Inter  
S. Sanctam Trinitatem & beatos in Re-  
gno Gloriæ, hac de re Porrò nostrum

non est quidpiam determinare, cum  
isthæc talia, sint mere Theologica,  
nec aliunde peti possint quam ex sola  
revelatione.

*II. In unitate Indivisibili nulla est u-  
nio; Sed in Indivisa Divisibili.*

Nullus enim illic unioni locus.  
Nam quod simplicitè Indivisible est,  
illud respuit pluralitatem; At unio  
non potest non esse plurium. Quod  
enim penitus & omni ex parte unum  
idemq; est, illud ineptè singitur uni-  
tum. Manet itaq; unionem esse rerum  
Divisibilium, quæ induunt naturam  
Indivisionis per & propter ipsam uni-  
onem.

*III. Unio non est sine unitorum mutua  
præsentia.*

Unio inquam proprie sic dicta &  
juxta Abstractionis nostræ leges justis  
limitibus circumscripta, quæ exclu-  
dit Imaginariam, virtualem & Habi-  
tualem. Imo etiam impropriè dictam  
realem, hoc est, Accidentalem, quæ ut  
ut sit impropria, non tamen sine mu-  
tua unitorum præsentia, quod haud pa-  
rum arguit unitorum præsentiam in u-  
nione quavis arctissima.

*IV. Communicatio imitatur naturam  
sue unionis.*

Si igitur cum toto conjunctio etiam extrinseca infert communicationem sicut aliqualem, talem nempe, quæ proportionata est ad præviā unionem, Annon communicatio erit perfectior, pro perfectione Unionis suæ, in iis ubi non tantum totum toti jungitur, sed singulæ quoq; partes unius unitorum singulis partibus alterius.

*V. Unio realis infert communicatio-  
nem proprietorum.*

Idq; ob participationem extremitatum de uno Indiviso termino, intra quam termini unitatem non potest non unitorum perfectius communicare imperfectori unito de perfectione sua, adeoq; etiam de propriis, quantum satis est intentioni unitivæ: Et contra, unitorum imperfectius participare de perfectione perfectioris uniti, sc. quantæ per naturam capax est, vel saltem esse potest sine contradictione; idq; non tantum quoad Denominationem, sed & communem possessionem & usurpationem seu operationem. Et sic jacta est hujus rei alia, utinam exerto, quò maneat  
SOLI DEO GLORIA.

Venerabili & eximiis Ingenii dotibus  
conspicuo Viro Juveni pro gradu Ma-  
gisterii subtiliter & nervose  
differenti,

DN. JOHANNI PROCHMANNO  
Philos. Candidato eruditissimo,  
Amico suo plurimum dilecto:

**E**N Prochmanne tuos compensas  
jure labores  
Et caput exornat docta Thalia brevi.  
Scilicet ingenii laus est sapientis, honores  
Castalidum applausu ritè parare sibi.  
Macte bonis avibus famâ inclarescere!  
dignas  
Et patrii, laudes condecorare, soli,  
Ut noscant natale solum vel doctior atlas  
Premia quod prostant non moritura  
bonū.

Inter plura impedimenta  
gratulabundus subito  
scripsit

JOH. FLACHSENIUS,  
h. t. Acad. Rector.

*Præclaræ Virtutis ac Eruditionis*

*VIRO JUVENI,*

**DN. JOHANNI PROCHMAN,**  
Philos. Candidato Eximio, optumi Pa-  
rentis Filio haud degeneri Amico & Pa-  
triotæ perdilceto.

**Q**uid jungat disjuncta doces doctissime PROCHMAN,

Unio trāscendens quid siet atq; capis.  
Gratulor ingenii dotes simul Eloquiiq;  
Es quib; instruatus Tu patriota probè.  
Hinc meritus Tibi surgit honos, ac præ-  
mia larga

Cōtribuetq; Tibi doctus Apollo. Vale.

Ita paucis gratulari voluit

**A X E L I U S K E M P E, LL Prof. Ord.**

**H**ως τις ήμας φιλία πιεῖ ὡς συγ-  
χάρειν μετήσσοι παρ' ὄλιγας ήμέ-  
ρας γενησσερέθησε πιμῆς. τῷδε γέροντος τῶν  
φιλων κατῆκον συνήδεσθαι πᾶς φίλοις  
εὐπεράτεροι. ἐκότως. οὐδὲ σὲ παιδεία καὶ  
τροπων κοσμίστης τε καλοκαρδία  
ἀξιως τῶν φέρεται μίατον. οὐτως γε τὸν  
Σενάννην επεζει, ὡς μὴ εἴναι αὐτὸν τῇ τύχῃ  
ενάλων η γέρα αἰλύμαντον. Εὕρωσον.

Vener. & Pereximio Da. Cand. Amico  
meo certissimo quamvis festi-  
nanter L. en. Mq; gratuitabar  
E. FALANDER.

Peregrinie Dn. PROCHMAN  
Amice vetus & singulariter ho-  
norande.

**V**Ix est in amplissimo prima Philofo-  
phiae ambitu aliquis præstantissima  
doctrine articulus, cuius intimior  
scientia & plena planaque cognitio  
majori cum danno negligitur, quam  
is quem in præsentiarum à Te, nobis  
& publico exhibicium iri audio, de uni-  
onis in Abstractione summa positæ, for-  
mali Ratione; quippe sub quo titulo,  
non de re quavis minutissima, & quod  
dici solet lana caprina rixatur, sed  
de fidei Nostræ præcipuis capitibus con-  
troversieur, imo in id negotiis cum  
cura inquiritur, quod apicem exopea-  
tissimæ salutis nostræ concernere non  
nesciverit aliis, quam qui negligent  
iam rerum suarum supra hominis ca-  
ptum foveat, & ignorantiam profitetur  
meram. Occinet quis: Itane tu de Me-  
taphysicis magnifica prædicas, ut My-  
steriorum etiam exhibice spinarum ve-  
prismque involucris sustineas polliceri  
dilucidationem, quorum tamen veritas  
non nisi pia credulitate apprebendi de-  
bet? Non potest, qui vel leviter bisce

studis tinctus est, inficias ire, non de  
Reali tantum Distinctione acerrimum  
olim fuisse tam ipsos inter Aristotelis  
Interpretes, quam postea Ramorum  
cum istis consilium, sed & de unione  
varias variorum extare sententias,  
adeo ut Thomam Scotumque conci-  
liare velle, atque ex eorum placitis  
hesitantem circa fidei negotia erigere  
animum firmare, idem sit ac magno  
conatu magnas nugas agere: Et binc  
ille lacrymae, binc tot errores, tot ba-  
reves, dum qui Scholasticorum specu-  
lationibus nimis indulgent, coguntur  
Phocinianorum Sophisticationibus tristi-  
eventu cedere, ad strophas illorum elu-  
dendas idoneam destituti arte. Verum  
bisce incommodis Salubri ratione ob-  
yiam eunt, qui sic Disciplinam banc  
transcendentalem aggrediuntur, ut  
meris terminorum litigiis operam mi-  
nime impendant, quin ad veritatem  
in ipsa Natura prædicationibus Meta-  
physicis respondentem oculos animumq;  
flectunt, & præterea sanctissimum san-  
ctissimarum revelationum codicem pie  
& attente consulunt, atque hac omnia  
in eam consonantiam redigunt, unde

non

non minus Mysticis quā naturalib[us], En-  
titatam Infinito quā finito conceperis com-  
perant communissimi. Tu mi Prochmar  
riter et leg[it] studiis philosophicis initatus  
es, ut inoffenso pede divina suffultus  
gratia in Theologorum etiam scriptis  
possis progredi. Industria itaq[ue] Tua in  
uestigiorum genere publicum te-  
timonium non magis ex volo quam  
merito tuo natus es, siquidem Sacri  
ministerii honoribus antebec ornatus  
jam jam Magisterii Lauro tempora  
præbebis redimienda. Quam felici-  
tatem quo intelligeres me sine fuco Tibi  
gratulari, placuit ad rei gratissimæ  
ad me perlatum nuncium hoc animi  
mei, amicitiam nostram diligentissime  
recolentis, certissimum pignus tibi mit-  
tere Korsbolmia Wazensium, die 19. Se-  
ptemb- Anni 1679.

T. Studiosissimus.

PETRUS PORTINUS.